Diſputatio

DE MORBIS MATERIÆ,

QVAM, CHRISTO ADIVVANTE, SVB PRAESIDIO CLARISSIMI VIRI D. ANDREÆ PLAneri Atheſini, artis Medicæ Doctoris, Profeſſoris & Decani ſpectabilis in celebri Tubingenſium Academia, Præceptoris ſui ſemper colendi, die 28 Ianuarij in auditorio Medico, horis conſuetis, pro ſua tenuitate defendet.

PETRVS PAVLVS HOCHſtetter Tubingenſis.

TVBINGAE,
Excudebat Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. D. LXXXVI.

Diſputatio
DE MORBIS MATERIÆ.
Quæſtio.

VTRVM TRIA SINT MORBORVM *in partibus ſimilaribus genera, vnum, quod diſcraſia ſeu intemperie definitur, cùm nimirum primæ elementorum qualitates naturalem mixtionis* λόγον *in parte quadam ſimilari non retinent, ſed alijs deficientibus, oppoſitæ earum exuperant & excedunt: Alterum, morbus materiæ, quo ipſa elementorum corpora, quæ cùm ad aliorum mixtorum corporum, tum verò etiam ſimilarium partium conſtitutionem congrediuntur, inæqualiter ſunt commixta: Tertium, morbus formæ ſeu totius ſubſtantiæ, quem aliâs ſubſtantiæ corruptelam vocant, quoniam ipſa ſubſtantia partis primùm & per ſe concutitur & labefactatur?*

Thema I.

Qui & quales ſint in intemperie morbi, non controuertitur, & ex ipſo Galeni lib. de diff. morborum cap. 4. clarum eſt & manifeſtum: ſed materiæ morbos recenſent mollitiem, duritiem, laxitatem, aſtrictionem, tenuitatem, craßitiem, raritatem, denſitatem, & reliquas eius generis qualitates, quæ παρὰ φύσιν *nonunquam in partibus ſimilaribus exuperare poſſunt, & earum* ἐνέργείας *primò lædunt, ſiue iam materiæ iſta vitia, cum diſcraſia primarum qualitatum coincidant, & ſimul ſint, ſiue ſeparatim & ſeorſim ſine diſcraſia primarum exoriantur, & hac ipſa ratione non interuentu diſcraſias, illius* ἐνέργείας *partium impediant.*

2. *Formæ ſeu totius ſubſtantiæ morbos ſimiliter varios recenſent, ſtatuentes alios manifeſtos, qui partium corporisq́ ſubſtantiam manifeſtis ex cauſis demoliuntur, eiuſmodi ſunt vlcera maligna, phthiſis, iecoris, lienis aliarumq́ue partium putredo, ex primarum qualitatum*

intemperie nata: & ſpiritus innati diſſolutio, per vigilias, labores, inediam, largas euacuationes, atroces & immanes dolores, inſuper natiui caloris extinctio in ſtrangulatu, vel inpenetrabili extremoque frigore: alios verò occultos, qui cæcis ex cauſis ſubſtantiam totam oppugnant, quorum alios venenatos, alios contagioſos, alios peſtilentes faciunt, & ſingulorum minutiores differentias conſtituunt.

3. *Neque verò temerè & præter rationem morbos iſtos materiæ recentiores Medici introduxiſſe videntur, cùm magna ſimilarium partium ſubſtantiæ portio ſit ipſa materia, quæ ſuapte natura etiam eſt* ἀόριστος, *ac talis, vt* συμμετρίαν *&* ἀσυμμετρίαν *admittat, vnde ſanitatis morborumq́ rationes in rebus quibuſq; animatis, quæ vitales* ἐνεργείας *producere ſolent, promanant & dependent.*

4. *Atqui non vt tria ſunt, quæ in vnaquaq; ſimilari parte reperiuntur, nempe materia, forma & craſis, ita ſingula illa* συμμετρίας *vel* ἀσυμμετρίας *participare poſſunt: ſed vnum tantùm ex illis eſt, quod ſymmetriæ & aſymmetriæ ſubijcitur, nempe ipſum temperamentum & craſis, reliqua autem duo, materia puta & forma, nullo modo iſta recipiunt, vt quæ, tanquam ſubſtantiæ quædam, magis & minus, ſine quibus* ἀσυμμετρία *non intelligitur, penitus excludant.*

5. *Deinde ex actionum, &* ἐνεργειῶν, *quæ in partibus ſimilaribus reperiuntur principijs, morbos materiæ defendere conantur, ſiquidem actiones alias à forma, alias à materia, alias autem à temperamento promanare dicunt, ſic vt vnoquoq; illorum* κατὰ φύσιν *ſe habente, pars ſimilaris, eius ratione* ἐνεργείαν *exerceat, & hoc ipſo ſana eſſe dignoſcitur: cùm è contra quàm primùm aliquid ex his* παρὰ φύσιν *ſit affectum, ſtatim* ἐνέργεια *inde dependens in parte ſimilari impediatur, qua impeditione itidem ægrotare partem iudicamus: cùm morbus nihil aliud ſit, quàm* βλάβη *& impeditio* τῆς ἐνεργείας.

6. *Nos vnum tantùm ſtatuimus agens & mouens principium, quod omnium* ἐνεργειῶν *in parte ſimilari, quatenus ſimilaris, efficiens eſt cauſa, nempe ipſam craſin & temperamentum, pro cuius varietate, diſsimiles quoq;, non ſolùm in diuerſis, ſed etiam ſpecie conuenientibus*

tibus ſimilaribus partibus actiones eduntur. Sic namq; oſsium nutritio diſsimilis eſt carnis, à qua ſpecie differunt, nutricationi, & diſsimilis eſt attractio, retentio, alteratio & expulſio venarum magis calentium & minus calidarum, vtcunq; ſpecie ſubſtantiæ non diſcrepent, ſed craſi tantùm varient.

7. *Materiæ nullam, quatenus materia eſt, agendi vim aſcribimus, de communi etiam philoſophorum ſententia, qui omnes ſtatuunt* τὴν ὕλην *eſſe* παθητικὸν, *non autem* δραστικὸν *&* ποιητικὸν *principium. Siquidem impoſsibile eſt, vt aliquid idem eadem ratione patiens ſit & agens. At materia quatenus materia, patiens eſt, cùm aliorum actionibus ſeſe ſubijciat, qua ratione fieri non poteſt, vt ipſa materia, ratione ea qua patitur (ratione autem ea qua patitur materia eſt, & eſſe intelligitur) eadem agat, & ſic in parte quadam ſimilari* ἐνεργειῶν *quarundam efficiens ſit cauſa.*

8. *Quanquam aliâs forma dicatur eſſe principium actiuum, & omnes vel pleræq; partiū* ἐνέργειαι *formis illarum communiter aſcribantur, ſic vt dicere ſoleamus, venam, neruum, ligamentum, os & ſingulas alias partes ſimilares ſua propria forma peculiare alimentum attrahere, retinere, alterare &c. tamen ſeipſa nihil agere videtur, ſed tantùm finiens eſt & determinans* ἐνεργειῶν *cuiuſq; partis cauſa, vt quæ indefinitam qualitatum & craſeos* ἐνέργειαν *moderetur & definiat eatenus, quod naturæ partis conueniens eſt & accommodatū.*

9. *Rectè aliâs Fernelius craſin à materia ſecernit ac ſeparat, quòd illa ſit accidens, hæc verò ei ſubſternatur ceu ſubſtantia quædam: ſed in eo labitur, quòd exiſtimat, partem aliquam laxam, mollem, aſtrictam, craſſam, raram, tenuem euadere, & reliquas eius generis qualitates aſſumere ab ipſa materia, quaſi hæ qualitatum differentiæ inſint per ſe ac primò ipſi materiæ, nec ex qualitatibus primis earumq; mixtione primùm emerſerint & obortæ ſint, ſed materiæ obtigerint ex illa ipſa ſubſtantiæ primorum corporum, id eſt, elementorum mixtione.*

10. *Etenim duplex omnino in conſtitutione mixtorum corporum*

ſtatuitur mixtio ipſorum elementorum: vna cauſa qualitatum, cùm omnes elementorum qualitates inuicem permiſcentur, totæ per totas vt Hipp. in lib. de natura humana docet. Hinc cauſari & prouenire dicunt huius vel illius qualitatis primæ in mixto aliquo corpore exuperantiam, qua ſi κτ̀ φύσιν etiamnum ſit, ſanitatem: ſin verò παρὰ φύσιν iam eſſe incipiat, morbum partis ſimilaris definiunt.

11. Altera ſubſtantiæ & materiæ ipſorum elementorum qua tenues, molles, raræ, ac laxæ elementorum partes tum craſsis alijs, duris & compactis miſceantur, ex qua mixtione conſtituatur materia quæuis ſecunda & propinqua, tum cuiuſuis alterius mixti corporis, tum verò inprimis etiam ſimilaris partis humani corporis, & hinc ſecundas illas qualitates ex ipſorum corporum elementorum mixtione non verò primarum qualitatum confuſione, actione & paſsione mutua cauſatas, materiæ cuiuſq; partis ſimilaris attribuunt.

12 Proinde ſi eiuſmodi ſecundæ aliâs vocatæ qualitates συμμετρίαν retinuerint, vt nec quod tenue eſt, tenuius aut minus tale euadat, eadem reliquarum exiſtente ratione, partem ſimilarem cauſa materiæ ſanam eſſe opinantur: ſin verò in his ἀσυμμετρία & immoderatio quædam exoriatur (qualis tam ipſorum ſententia accidere poteſt, quàm modò qualitates primas nos augeri & diminui affirmamus) tum partem ſimilarem cauſa materiæ eius morbum quendam accipere autumant.

13. Falſum nobis eſſe videtur in materia propinqua cuiuſque partis ſimilaris permanſiſſe ex mixtione corporum elementorum alias quaſdam craſſas, duras, aſtrictas ceu terreas, alias verò tenues, molles & laxas, ceu aëreas & aqueas portiunculas: cùm, qua ratione primæ elementorum qualitates in conſtitutione mixti corporis ex toto inuicem ſunt commixtæ, eadē ſecundæ quoq; quæ materiæ elementorū antea inerant, ſunt confuſæ, vnde non potuerunt aliæ elementorum partes permanere duræ, craſſæ, molles, compactæ, aliæ raræ, laxæ, tetenues, ſed propter primarum qualitatum confuſionem, confuſæ etiam ſunt ex toto ſecundæ.

14. Nec

14. *Nec materia mixti corporis euaſit dura, mollis, rara, laxa, aſtricta, compacta vel tenuis, quoniam conſtituta ſit partibus elementorum, quæ has qualitates ſecundas in ſe obtinuerint: ſed propter confuſionem primarum qualitatum, confuſæ etiam ſunt ſecundæ in elementis, & poſtea de nouo in materia propinqua mixti alicuius corporis actione & paſſione mutua primarum qualitatum ſecundæ hæ qualitates ſunt excitatæ, quemadmodum antea in ipſa elementorum materia ſigillatim ſecundæ iſtæ qualitates naturam ſequuntur & conditionem primarum, quæ cuiuſq; propriæ ſunt & familiares.*

15. *Ac qua de cauſa magis & minus recipiunt qualitates ſecundæ, imò generantur & abolentur in ipſis elementis, eorumq; materia, eadem certè magis ac minus admittunt, imò de nouo introducuntur, vel antea exiſtentes abolentur & contrarijs permutantur in materia propinqua & ſecunda mixti alicuius corporis aut partis ſimilaris.*

16. *Materia verò ipſa quatenus materia eſt, ſiue elementorum, ſiue mixti alicuius corporis, qualitate omni, tam primâ quàm ſecundâ vacat: & vt nullam ſubſtantialem, ſic neque accidentalem aliquam habet formam ſibi inſitam, propriã, vernaculam & congenitam, cùm ſit ſimplex principium: & cùm primùm aliqua, cuiuſcunq; tandem ſit generis qualitas, materiæ adiungitur, tunc illa etiam aliquam formam ſubſtantialem præſuponit, & ſimul tali διαθέσει mixtum aliquod corpus eſt & ſubſiſtit, non verò ipſa materia & principium abſolutè & per ſe eſſe intelligitur.*

17. *Neq; aliunde error iſte vel opinio de qualitatibus materiæ proprijs originem trahit, quàm ex praua intelligentia mixtionis primorum corporum ſeu elementorum, qua mixtum aliquod corpus conſtituitur: cùm non rectè acceperint illud Hipp.* ὅλα δ᾽ ὅλ... *ſed propius ad Empedoclis acceſſerunt opinionem, qui corpora mixtorum ex elementis compingit & architectatur, quemadmodum ex lapidibus, lignis, cæmento & alijs, domus vel paries extruitur, in qua compoſitione iunguntur partes aliæ craſſæ, duræ, compactæ, mollioribus, rarioribus & laxioribus.*

18. *Nec*

18. *Nec probat qualitates ſecundas ipſi materiæ per ſe conuenire, & non in eadem primum opera & beneficio, hoc eſt, actione & paſſione mutua primarum emerſiſſe & excitata eſſe: Quòd ſi non ipſa per ſe materia iſtis qualitatibus differret à temperamento & à craſi, tunc materia & craſis in rebus & partibus ſimilaribus humani corporis nunquam à ſe inuicem diſcreparent, quod tamen ſæpenumerò accidere affirmant, ſic, vt licet partes eandem habeant materiam, qualitatibus tamen primis & craſi plurimùm à ſe differant, & vice verſa dari poſſunt & aſſignari eiuſmodi partes, quæ diuerſam habent materiam, in qualitatibus tamen primis & craſi ipſa conueniunt.*

19. *Nos vtrumq; negamus, exiſtimantes, primùm fieri non poſſe, vt partes quædam craſi & temperamento conueniant, quæ tamen materiâ diſcrepent. Nam etiamſi cor & pulmones (quæ duo pro exemplo adferunt) ambo viſcera dicantur eſſe calida, tamen* λόγος *mixtionis elementorum in vtroq; longè eſt diuerſus: ſiquidem aliter omnino qualitates elementorum ſunt commixtæ in conſtitutione cordis, qua mixtione accidit illud craſſum & compactum fieri, & aliter ſunt commixtæ in conſtitutione pulmonum, qua itidem mixtione accidit, pulmonum carnem raram, laxam, fungoſam & mollem eſſe effectam.*

20. *Hanc mixtionum diuerſitatem ſequitur etiam formarum in partibus ipſis diuerſitas, cùm craſes proximum ſint illud & immediatum, cuius interuentu forma ſuæ ineſt & innaſcitur materiæ, vnde quantum formis diſcrepant cor & pulmones, tantum temperamentis quoq; & craſi variant inuicem. Nec rectè affirmare queunt, cor & pulmones idem habere temperamentum, diſcrepare autem à ſe inuicem ipſa materiâ, cùm* οἰκείαν ὕλην, *in qua quæuis eſt* ἐντελέχεια *& forma, ipſa craſis conſtituat.*

21. *In hac verò craſi & temperamento partium vel rerum ſimilarium multa verſatur* ἀοριστία *ratione magis & minus, non ſolùm propter exuperantiam certæ qualitatis, quæ multiplex eſſe poteſt, ſed multò magis propter varietatem humidi & ſicci, in quod calor & frigus tanquam agentes qualitates agunt: quo poſteriore modo fieri ſolet,*

vt ab

vt ab ea dē qualitate exuperante diuerſæ qualitates in rebus & corporibus enaſcantur, ſicuti craßitiē à calore & frigore effici poſſe conſtat.

22. *Priore autem modo fieri poteſt, vt in tali temperamento partis alicuius hæc exuperet qualitas, quæ etiam in temperamento alterius partis exuperet, non tamen ambæ illæ partes idē temperamentum obtinent; ſiquidem neq; eundem caloris aut frigoris fortè humidi aut ſicci gradum obtinent: qua ratione calor in corde & pulmonibus, diuerſo tamen temperamento præditis, exuperare poteſt, ſic tamen vt intenſior ſit cordis, remißior verò pulmonum calor.*

23. *Quòd ſi etiam demus, & in diuerſis partibus contingat, vt idem ſit gradus vincentis qualitatis, nondum tamen euincitur, illas idem habere temperamentū & eundem mixtionis* λόγον. *Quia calidum & frigidum diuerſimodè in humido & ſicco tanquam materia miſceri, & in ſe mutuo agere ac pati poſſunt, ſic, vt etiamſi vtrobiq; exuperet vel calor vel frigus, nihilominus tamen res illæ diuerſum acceperunt temperamentum, quod nimirum tali proportione ad humidum & ſiccum frigus & calor ſunt commixta, vnde tales ſequuntur qualitates ſecundæ: In alia aūt re, in qua ſimiliter vel calidum vel frigidum exuperat, alia proportione ad ſuum humidū & ſiccum ſunt commixtæ, ideo etiā aliæ ac diuerſæ omnino à prioribus qualitates ſecundæ ſunt excitatæ & enatæ.*

24. *Quas tanquam effectus & inditia craſeos vel exuperantiæ potius primarum ſpectantes & agnoſcentes in rebus mixtis, de earū temperamento aut rectiùs dominio primarū qualitatum pronunciare rectè ſolemus: ſicut in arte parua exuperantias primarum qualitatum ex ſecundis quibuſdā, ceu effectis, deſcripſit nobis Galenus, & in* φαρμακευτικῇ *Medicinæ parte ex his vel illis ſaporibus has vel illas primas qualitates exuperare agnoſcimus & obſeruamus.*

25. *Si omnes qualitates ſecundas mixti alicuius corporis, vt ſimilaris partis cognitas perſpectaſq; habeamus, latere nos non poteſt ipſa craſis, temperamentum* λόγος *que mixtionis eiuſdem. Nam etſi certo vocabulo exprimere illum non licet, tamen omnino deſcriptione quadam manifeſtare illum poſſumus, complectentes ſcil. omnium qua-*

litatum in materia eiuſdem χέσιν *& habitudinem ad ſeinuicem. Sin verò non omnes ſecundas ſimilaris corporis qualitates teneamus, aut aliâs ſigillatim vnam aliquam arripiamus, tum non integrum temperamentum & mixtionis* λόγον*, ſed eius tantùm aliquam partem, nimirum exuperantiam duntaxat primarum qualitatum inde percipimus & deprehendimus.*

26. *Non ergo idem* ἁπλῶς *eſt temperamentũ & craſis rei ſimilaris, & huius vel illius certæ qualitatis primæ, vt caloris vel frigoris, vel humidi vel ſicci in rè illa ſimilari exuperantia, quoniam illa* λόγον *mixtionis rei denotat, quem immediatè ſequitur forma eiuſdem, ac illo* λόγῳ *res omnes à ſe inuicem differunt, nec communicant & conueniunt aliquatenus: exuperantia verò certæ qualitatis arguit duntaxat & denotat victoriam qualitatum in illo mixtionis* λόγῳ*, nec iſtis qualitatum exuperantijs res à ſe inuicem primùm differunt.*

27. *Sicuti hactenus oſtendimus, fieri non poſſe, vt partes quædam temperamento conueniant, quæ tamen materiâ diſcrepent, ſic neq; hoc alterum quod aſſumitur, fieri poteſt, vt nimirũ partes quædã materiâ conueniant, & temperamento interim diſcrepent, quod de corde & renibus iactitatur, quæ duo temperamento differunt, cùm cor calidum ſit, renes verò frigidi exiſtant, ſolidam autem & compactam ambo ſubſtantiam obtinent.*

28. *Licet aũt vtrobiq; materia ſit compacta & dura, tamen compactũ eſſe & durum non ſunt ipſa materia, vt ſic partes iſtæ rectè dici poßint materiâ conuenire: ſed ſunt tantùm qualitates quædã ſecundæ & accidentia materiæ, quæ à caloris & frigoris actione in humidum & ſiccum prouenire & excitari poſſunt, etiamſi nu quaquã idem ſit totius compoſiti, vt renũ aut cordis, temperamẽtũ ſeu mixtionis* λόγος.

29. *Ex poſitis concludimus, materiã quidem à temperamento ceu accidens à ſubſtantia differre, quemadmodum eandem à forma & ſubſtantia rei, ceu potentiam ab actu ſeparamus: non tamen ſic à temperamento differt, quòd ipſa peculiares quaſdã ſibi inhærentes habeat qualitates, quæ à temperamento non ſint excitatæ, ſed ab eodem diſcordare & diſſentire quandoque in rebus ſimilaribus contingat; vnde accidat*

cidat poſtea alios craſeos, alios verò materiæ morbos eſſe in partibus ſimilaribus.

30. *Atq; vt materia ipſa nuda ac per ſe conſiderata, nullas ſibi inhærentes habet qualitates, ſed illis effectis à craſi ſubijciatur, & hæ in illa tanquam ſubiecto augeri, diminui & ex toto contrarijs permutari poſſunt: ita ipſa etiã nullo modo ad actionem partium confert, & hinc neq; bonæ neq; aduerſæ valetudinis diſcrimen ex ipſa nuda materia, abſq; craſi & qualitatibus conſiderata depromi & deſumi poſſunt.*

31. *Nam quod in eiſdem ſpecie partibus ſimilaribus, materiâ aliter atq; aliter ſe habente læduntur & immutantur* ἐνέργειαι, *(qua ratione quorundam ventriculus neq; acetum, neq; ſynapi, neq; piper aut aliud aliquid acre & mordax fert, aliorum autem ſimiliter intemperatus aut etiã temperatus ventriculus ab eiuſmodi rebus non læditur & offenditur) id non euincit, ipſam per ſe materiam ad* ἐνεργείας *partium exercendas aliquid conferre: ſed hoc tantùm arguit, materiam, quoad ipſa alijs atq; alijs qualitatibus etiam in eiſdem ſpecie ſimilaribus partibus affecta eſt, actiones partium immutare, quod nos vltrò fatemur etiam.*

32. *Similiter neq; formæ neq; materiæ, ſed temperamenti proprietati, quam aliâs* ἰδιοσυγκρασίαν *vocant, aſcribendum, quod ſingularis alicuius & indiuidui hominis pars à certis quibuſdam & indiuiduis rebus læditur aut iuuatur, & nihil interim commodi vel incommodi percipitur ab alijs rebus, ſimili tamen qualitate præditis: ſicuti quidã non poſſunt ferre moſchum, ſed ab alijs odoratis non offenduntur: & quidam acetum faſtidiunt, ſed ab alijs acidis non abhorrent.*

33. *Atq; in vniuerſa natura conſtat, differentias quaſdam eſſe* δυνάμεων *tum* ποιητικῶν *tum* παθητικῶν: *ſic vt aliæ ſint in mouentibus generales & communes, aliæ ſpeciales, aliæ deniq; ſingulares* δυνάμεις, *quibus itidem ſingulæ in patientibus reſpondent ad patiendum* δυνάμεις: *ſicuti hoc exemplis cùm alimentorum, tum medicamentorum alterantium, tum verò inprimis etiã purgantiũ cognoſci poteſt.*

34. *Harum omnium differentiarum* δυνάμεων *cauſæ ſunt quidem in temperamentis & craſi rerũ, ſed tamen generales & communes*

δυνάμεις excitantur & efflorescunt ex communi quadam temperamenti ratione, quæ in pluribus eius generis rebus reperitur. Speciales aũt ex contractiore & anguſtiore temperamenti in rebus ratione proueniunt, ſicuti ſingulares à ſingulari cauſantur & exiſtunt.

35. Et quanquam omnes iam dictæ δυνάμεων differentiæ in eo cõueniunt, quòd nimirum in ſingulis illis iunctis δυνάμεσι ποιητικαῖς & παθητικαῖς excitetur motio certa: tamen poſtremæ inprimis differentiæ motio, quæ ſingularum eſt δυνάμεων ſui præſertim admirationem excitat, ſic vt omnino non ad craſin ceu communius principium, ſed vel ad formam, vel certè ad materiam, tanquam indiuiduum principium rei illius referenda eſſe videatur.

36. Nam quòd ſingulares huiuſmodi & indiuiduæ δυνάμεις, tum ποιητικαὶ tum παθητικαὶ, nec ad materiam nec ad formam rerum referri debeant, ex eo perſpici poteſt, quòd tales res & cauſæ iunctæ ſingulæ ſuis παθητικαῖς δυνάμεσι mouent, & afficiunt & alterant illas, quod ſine contrarietate fieri non poteſt, quæ aſcribi nequit materiæ vel formæ illarum rerum, vt quæ ſint ſubſtantiæ, quibus vt nihil contrarium eſt, ita nec ipſæ ſibi mutuo repugnant & contrariantur.

37. Sed contrarietas iſta, gratiâ cuius ſingularia mouentia ſingularia mobilia afficiunt, tantùm referri poteſt ad craſin, quòd nimirum aliqua eſt contrarietas qualitatum in ſingularibus & indiuiduis mobilibus cũ ſingularibus & indiuiduis mouentibus, vt quæ in alijs eiuſdem ſaltem ſpeciei non eſt, ob quam qualitatum contrarietatem fieri & euenire ſolet, vt certa & indiuidua mouentia, certa duntaxat & indiuidua mobilia; non verò alia illius ſpeciei alioquin moueant & afficiant.

38. Licet propter mollitiem, raritatem, denſitatem, laxitatem, duritiem, craßitiem, & reliquas ſecundas qualitates corpora hominum læſioni cauſarum παρὰ φύσιν incidentium ſint expoſita, & hinc facilè in morbos labantur: nõ tamen ritè inde colligitur, alias affectiones corporibus accidere propter craſin, & alias propter materiam illorũ, cùm hæ etiam ſecundæ qualitates non ad materiam qualitatibus omnibus ſuâ naturâ carente, ſed ad ipſam craſin pertineant & referri debeant.

39. Sa-

39. *Sanè quo virium ſubſtantia completur, illud ex numero agentium principiorum excludi non poteſt nec debet, cùm omnes actiones in partibus exerceantur à virium ſubſtantia: non tamen vt ad formam ſpirituoſa, ſolida verò & carnoſa (tres enim ſunt illæ, quæ in vnaquaq; ſimilari parte continentur, & virium ſubſtantiã complent) ad materiam referri debent, vt ſic aliqua omnino ad agendum materiæ vis competat, cùm ſolida etiam & carnoſa ſubſtantia, nõ verè habeat rationem materiæ in parte ſimilari, ſed totius alicuius compoſiti, quod comparatione tantùm ad partem ſimilarem ceu magis compoſitum materia dici poteſt, quemadmodum alias ſimilares partes materia exiſtunt ceu magis compoſitorum diſsimilarium.*

40. *Aliâs carnoſa ſubſtantia ſuã habet materiam, vt quæ ex ſanguine ſit generata: ſolida item ſubſtantia ſpermaticum humorem pro principio* ὑλικῷ *obtinet. Ac vt alia eſt carnis, alia ſolidæ ſubſtantiæ ſpecies & forma, ita alia etiam atq; alia vtriuſq; craſis & temperamentum, cuius vi primùm & per ſe, cùm ſolida, tum carnoſa illa ſubſtantia ad agendum confert, & hac ratione ex agentium numero excludi non debet, ſed aliâs nequaquam ad actionem confert.*

41. *Porrò nec curationis ratio oſtendit alios eſſe materiæ, & alios temperamenti morbos. Nam quòd partibus principalibus laborantibus intemperie, non ſufficiunt ſola alterantia illam intemperiem, ſed inſuper de Galeni ſententia in Meth. med. ea ſunt adhibenda, quæ ipſam materiam partium principalium laxiorem nonnihil ab intemperie redditam, aſtringere, & ſic robur virtutemq; earum conſeruare & cuſtodire valent: hæc propter partem affectam tantùm, quæ principalis eſt, fieri ſolent, & non ratione ipſius affectus conueniunt, ſed eius reſpectu accidunt.*

42. *Hæc autem expoſcit ipſa pars affecta, non quòd materia eius proprio vitio laboret, ſed quòd tota ſubſtantia partis neceſſariam corpori actionem exerceat, quod vt commodiùs præſtare queat, aſtrictione opus habet: quæ etſi laxitati vel præſenti, vel futuræ & imminenti opponatur* προφυλάξεως ἕνεκα, *non tamen ipſa laxitas materiæ eiuſdem partis eſt morbus, ſed ſymptoma exiſtit morbi craſeos ſeu tempe-*

 ramenti:

ramenti: vnde reſpectu diſcraſiæ etiam qua laxitas cauſatur ex accidente tantùm ἐνέργεια *impeditur, non primùm & per ſe, ſicuti à diſcraſijs eadem impediri ſolet.*

43. *Vt enim partis* εὐκρασία *in primis qualitatibus per ſe eſt cauſa, vt* ἐνέργειαι *ſimilares exerceantur, & hoc reſpectu, aliarum qualitatum in parte* συμμετρία *ad actionem illam præſtandam, ex accidente tanquam effectus ſcilicet* εὐκρασίας *primarum qualitatum concurrit: ita ex oppoſito ad impediendã ſimilarem* ἐνέργειαν*, primùm & per ſe, tanquam cauſa facit diſcraſia primarum in parte qualitatũ, & eius reſpectu ad eandem* ἐνέργειαν *impediendam, per accidens tantùm concurrit* ἀσυμμετρία *ſecundarum qualitatum, ex* ἀσυμμετρίᾳ *primarum prognata & effloreſcens.*

44. *Ex quo patet, laxitatem illam nec pro morbo, nec pro cauſa habendam. Nam morbus dici nequit, quia non primaria ratione, vt iam oſtenſum, actionem lædit, id quod tamen ad morbi naturam requiritur. Sed neq; cauſa eſt morbi, quia non interuentu primarum qualitatum lædit: cùm* εὐκρασία *aut diſcraſia cauſa ſit* συμμετρίας *vel* ἀσυμμετρίας *ſecundarum; quare hæ non tanquam effectus & poſterius quidpiam ſub ratione cauſæ, tanquã prioris, actionẽ lædere poſſunt.*

45. *Proinde laxitas in parte quadã præcipua exiſtens vt in ventriculo aut epate, ſuum quidem etiam expoſcit contrarium, non tanquã morbus, ſed tanquam qualitas quædam patibilis parti inhærens tenaciùs. Qua ratione etiam Hipp. lib. 6. Epid. comm. 2. part. 3. iubet quædam leuigare, quædã exaſperare, quædam indurare quædam emollire, & ſic quædam aſtringere, quædam verò relaxare.*

46. *Quum ſcribit Galenus duras frictiones artus corroborare, quoniam nimirum reddunt materiam ſolidiorem & compactiorem: materia tunc appellatur tota partis ſubſtantia, quoad ſenſilis eſt, & in ſenſum noſtrum incurrit, diſtincta quaſi aduerſus formam ſubſtantialem eiuſdem, quæ non niſi ratione & intellectu cognoſcitur: hanc ſenſilem materiam quæ verè compoſitum aliquod eſt, frictiones huiuſmodi duræ corroborant, quod nihil ad materiã propriè ſic dictam ſpectat.*

47. *Similiter quando docet Gal. vires conſeruari, ſi ſpirituum,*

partium carnoſarum & ſolidarum non ſolùm qualitas, ſed etiam quãtitas cuſtodiatur: non ſic duo illa deſtingui debent, quaſi qualitas ad temperamentum, quantitas autem ad materiam pertineat, cùm tam quantitas, quàm qualitas materiæ ſint accidentia, nec magis ad eius ȣσίαν pertinet quantitas, quàm qualitas. Quare, etſi rectè dicatur, vtrunq; eſſe conſeruandum, quantitatem & qualitatē ſubſtantiæ partium, non tamen ex æquo vtriuſq; defectus eſt morbus ſimilaris.

48. *Qualitatis namq; ἀσυμμετρία morbus eſt & vitium partis ſimilaris vt eſt ſimilaris: ſed quantitatis ἀμετρία, quæ etiam accidere poteſt, eſt vitium partis ſimilaris quoad organi alicuius eſt μόριον, non autem quatenus eſt ſimilaris, quæ ſola craſi conſtat & definitur, cuius reſpectu reliqua omnia accidentia, quæ aliâs in parte ſimilari reperiuntur, accidere intelliguntur.*

49. *Sed neq; ſecundus ille ad Glauconem locus, quo immoderatè laxantia ſoluere robur, quæ autem ſupra modum refrigerant, natiuum calorem extinguere dicuntur, diſtinctos materiæ à temperamenti morbis euincit, quaſi relaxantia pertineant ad materiam, refrigerantia autem ad temperamentum. Sed hoc tantùm probat, quod neq; nos negamus, alias qualitates alijs contrariè opponi, quibus mutentur & iuuentur: neq; qualitatis tantùm primæ exuperantia ad temperamentū pertinet, ſed etiam eò referri debet nimia laxitas partis, & reliquæ eius generis qualitates, vt quæ cauſantur, quando calidum & frigidum non certam habuerit proportionē ad ſuam materiā, humidū puta & ſiccū.*

50. *Pro exemplis morborum materiæ adferuntur oſſa, quæ in quibuſdam hominibus adeò mollia & flexibilia apparent, vt ex cera videantur genita, & ideo inualida ſunt atq; imbecilla: Sunt qui articulos habent laxiſſimos vt quamuis in partem conuertantur: in alijs muſculi ſunt adeò rigidi ac duri, et articuli adeò intenti, vt dimoueri haud poſſint: Quæ & his ſimilia ſi experientia confirmat, neganda vtiq; non ſunt: at non ob id ſequitur, morbos illos eſſe materiæ, cùm tanquā ſymptomata m tertij generis ad morbos craſion referri poſſint.*

51. *Sed neq; ſi propterea exceſſus ſecundarum qualitatum non proprij ſunt materiæ morbi, quoniam à primis dependent, & propterea re-*

ferri

ferri debent ad morbum craſeos, ideo etiam quidam morbi organici, vt aſperitas & leuitas, ad eoſdem referri debent, vt quæ etiam ex qualitatibus primis cauſentur, cùm hæc non accidant partibus ſimilaribus vt ſimilares ſunt, ſed vt partes organorum, vnde etiam actionem organicam lædunt, & rectè pro peculiari morborum genere numerantur.

52. *Diſtinctionem facultatum medicamentorum, qua alia ex primis, alia ex ſecundis, alia ex tertijs & quartis agere dicuntur, ac primæ vires morbis intemperiei, ſecundæ immoderationi & morbis materiæ, tertiæ autem & quartæ ijs, qui totius ſubſtantiæ vim roburq; diſſoluunt opitulari exiſtimantur, non improbamus: veruntamen ex ea non probatur, quòd illi ſint materiæ morbi, quibus ſecundæ medicamẽtorum vires auxiliantur, cùm poſſimus etiam has referre ad temperamentum, ſicuti primæ vires medicamentorum non tam temperamẽtum, quàm exceſſum ſolùm & exuperantiam certæ qualitatis reſpiciunt eiq; ſuccurrunt.*

53. *Quando Gal. in lib. 4. de ſimp. med. fac. ſapores veriùs ex materia, quàm ex temperamento prodire aſſerit, per temperamentum intellexit tantùm exuperantiam actiuarum qualitatum, caloris & frigoris, ex qua non præſertim & immediatè ſapores proueniunt, cùm quædã amara ſint calida, alia frigida: ſimiliter quædam aſtringentia calida, quædã verò frigida. Per materiã aũt intellexit paſſiuas qualitates, humidum & ſiccum, quæ quòd agentibus ſubijciuntur, certa proportione & analogia talium vel talium ſaporum cauſæ efficiuntur poſtmodùm*

54. *Ipſa autem nuda materia, qualem Phyſici deſcribunt & propriè ſic accipitur, neq; certorum* παθῶν *& qualitatum in rebus, vt colorum vel ſaporum, multò autem minus morborum in partibus humani corporis efficiens poteſt eſſe cauſa, vel etiam ſubiectiua: quod ex rationibus hactenus à nobis prolatis colligi facilè & intelligi poteſt.*

FINIS.